

Alte Drucke

**Liber Quartus Psalmorum, In Quo Grande illud de
Redemptione totius Adami, rerumque omnium ejus gratiâ
Restitutione, Mysterium, hactenus Mundo ...**

Serrurier, Pierre

Amsterodami, 1668

Psalm.CIV.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

perditionis conclusa fuerit, maximè huic Benedictioni apta meritò censetur.

In sequenti Psalmo continuatio quidem Laudis & benedictionis quædam est ; Sed non tam respectu beneficiorum quibus Anima in se fuit affecta ; verùm respectu restitutionis quæ in toto Terrarum Orbe in communi conspicietur.

P S A L M . C I V .

I N Q U O

Anima ex omnibus angustiis crepta, & ad novam vitam renovata, de Statu quoque Mundi universi, in hominis gratiam renovato, tanquam de NOVA CREATIONE Deum laudat :

estque desinentium in הללו-יך Primus : Non enim universalis hæc omnium in laudes Dei Symphonia locum habet, antequam Omnis C R E A T U R A (hoc est universus Mundi status) restituta fuerit.

1. **E**uge Anima, ærumnis feliciter eruta cunctis,
Da Laudem J O V A E, votaque redde tua.
Mi Deus, o quantà nunc Majestate resulges !
Quam tua jam Mundo gloria conspicua est !
2. **N**on ultra in tenebris latitas, Cælique recessu,
Sed claro induitus Lumine ubique nites.
Nunc Cælos aperis, nobisque ut junctior adsis,
Æthereas sedem jam tibi ponis aquas.
3. **N**ubibus incedis splendentibus, & super alas
Ventorum Mundo conspicuus veheris.
4. **Q**uamvis tunc Cælo inferior, nihil minus omnes
Cælicolæ imperio stantque caduntque tuo.
Quandocunque jubes sunt instar Flaminis, & si
Iussiris, in Flamas se tibi conjicient.

L. OPUS
Diœi renovatæ.
FIAT LUX.

5. Ex quo Tu nobis præsens ; jam firmior extat
 Immotisque Orbis Machina stat pedibus.
 Et stabit semper, nec deinceps amplius illam ,
 Ullo submergent æquora Diluvio.
 Haec tenus in multis Mundi regionibus æquor
 Obruuerat Terram fluctibus usque suis ;
6. Nec non & Montes, quorum alta cacumina, mole
 Pressa sub æquoreā, delituere diu :
7. At nunc Te viso, Tequ' objurgante, recedunt
 Ocyus, & redeunt in loca quæque sua.
8. Hinc video efferri Montes, descendere Valles,
 Et priscam Terræ restitui faciem.
9. Et Pelago video metam signarier, ultra
 Quam deinceps nullæ transgredientur aquæ
 Utque Maris removes fluctus à vallibus imis,
 Æquè ac à Montis vertice, ne noceant :
10. Sic mittis Fontes, largo qui flumine valles
 Irrorent, nec non montibus in mediis,
 Ut profint, reddantqu' Orbi sua secula prisca,
 Que tandem terris omnia lata dabunt.
11. His etenim pecudem potas, his frugibus agri,
12. Et volucri dulces gratificaris aquas :
13. Nec non & celso pluviam demittis Olympo
 Vi Superum plenam, seminibusque gravem :
14. Qua dicitur Ager, pecori sua pascua præbens ;
 Ast Homini frugum cunctigenas species ;
15. Præcipue Vinum, quod cordi gaudia confert,
 Et splendere facit letitiâ faciem ;
 Nec non & Panem, qui fulcit robore corda,
 Et vires reparat restituitque novas.
16. Ast, quod præcipuum, saturos quoque reddis abunde,
 Quos juvat hæredes constituisse tibi ;

II. OPUS
Diœi reno-
vata, A-
QUARUM
SEPARA-
TIO.

III. OPUS
Diœi reno-
vata. TER-
RA produ-
cens Gra-
men.

Quos-

*Quosque velut Cedros Libani tua Dextera, JOVA,
Plantavit Templi scilicet in medio.*

17. *Ad quos accendent quicunque ex gente relicta
Delitias sitient justiciasque Dei;*

*Tam quibus est Abies sua mansio, quam quibus est Mons
Sen Petra Hospitium confugiumque suum.*

18. *Scilicet hic optant peregrina Ciconia, Passer,
Et Lepores nidum composuisse suum:*

*Nec requies animis dabitur flagrantibus ulla,
Quin quaque in Templo nidificaret Avis.*

19. *Hactenus ad Lunæ lumen, Noctisque tenebras,
Dum Sol occasum noverit ipse suum,*

20. *Undique Sylvestres, ex antris atque cavernis,
In Mundi Scenam proripuere Feræ:*

21. *Nunc Leo, nunc Ursus, nunc Pardus, & illa Prophetæ
Deterior reliquis Bestia Quarta feris.*

22. *At nunc exorto Solis splendore diurno,
In sua se condunt protinus antra Feræ;*

*Et fugiunt Lucem quicunque operantur iniqua:
Hanc etenim nequeunt Crimina ferre diem.*

23. *E contrâ exit Adam, seque ad sua munia confert,
Ad qua divino conditus est Opere.*

24. *O Deus! ô magni Rex admirabilis Orbis,
Quam tua sunt isthac multiplicata opera!*

*Quæ tu fecisti, quæqu' hæc in tempora nobis
Servasti, ut videant denique cuncta diem!*

*Si quondam repleta malis fuit Orbita nostris,
Nunc est illa tuis undique plena Bonis.*

25. *Nec tamen heic tua se sisit Clementia, pergis
Ad loca terribilis, sed spatiofa, Maris;*

*Quod scatet innumeris, parvis magnisque, Animabus
Quas velut indignas anteæ censueras.*

IV. O^rpus
Di^ei renova-
tio. FIAN^T
DUO LU-
MINARIA

V. O^rpus
Di^ei ren-
vata. Pi-
scium in
Mari Crea-
tio.

26. Inque Mare hoc mittis, quæ passis undique velis
Piscentur Naves, salvificantque Animas.
Utque capi melius possint, citiusque reduci,
Hoc nunc firmasti tempore Leviathan;
Qui Pœnis doceat, quæ quondam Gratia Donis
Innumeris Animæ tradere non valuit.
27. Hinc tandem exurget quod Gens quamcunque creasti
Ad tua se supplex projicit genua:
28. Ut vitam potumqu' ipsis in tempore dones,
Quæ miser eximiæ virificetur homo.
Quæ cum Dona imis penetralibus abdita servat,
Tu plura infundis quæs saturetur homo.
29. Quandocunque tamen, velut indignatus, ab ipso
Abscondis faciem, totus ubique tremit.
30. His si quando aufers Flamen, tunc corde fatiscant,
Si reddit, vitâ nobiliore vigent.
31. Denique laudabunt JOVAM per sæcula Cuncti,
Deque tuis Factis gaudia magna feres.
32. En terram si spectârit, tremit illa, nec ipsi
Consunt Montes, terrificante DEO.
33. CANTABO JOVÆ dum Spiritus hos reget artus,
Et Domino psallam dum mihi vita manet.
34. Dulce erit eloquium DOMINO quodcunque loquaris
Dum modo lætitiae causa sit ipse tua.
35. Perdendi è terrâ quibus est peccare libido,
Ne Peccatores repperiantur ibi.
Euge, Anima, ærumnis feliciter eruta cunctis,
Da Laudem JOVÆ votaque redde tua.

VI. OPUS
Diœi reno-
vata. Ho-
minis è
Morte re-
ductio.

VII. OPUS
Diœi reno-
vata. Lau-
dis Cele-
bratio, seu
Sabbati-
mus.

Huic Psalmo apud Septuaginta Interpretes, nec non & apud Castellionem, præfigitur Titulus, qui in Originali non reperitur, & tamen rei subiecto de quo agitur, & Mysterio cuius jam meminimus, quam optimè quadrat. Titulus apud LXX. sic sonat: ΥΠὲR TὴS TΟΥ KΟSMΟΥ SYSTASEOS, quod ver-
tit

tit Castellio, *Super Mundi statu*; non verò de Mundi, qualis nunc est, statu; Sed de illo quo gaudebit, quando tandem aliquando JEHOVA, in J. CHRISTO, velut Rex toti Mundo imperitabit: prout ex variis hujus textus circumstantiis clarè liquebit. Porrò hic Psalmus, nec non & duo sequentes usque ad finem hujus IV. Libri, nulli nisi eidem Davidi, qui suprà Psalmō CIII. memoratur, est attribuendus, Nempe nulli nisi ipsi CHRISTO, in sēcula benedicto. Ille, quum sit non solum Fidei nostræ ARCHEGOS, sed & TELEIOTES; non solum Autor sed & Consummator; Hebr. xii. 2. non solum Alpha seu Principium; sed & Omega, seu Finis omnis boni. Apoc. 1. 8. &c. xxij. 13. Postquam, nostram personam sustinens, Animam suam & quicquid in se erat, ad veram Recognitionem & gratitudinem excitasset; idque occasione omnium istorum, quæ ipfa à DEI Benignitate & Misericordia receperat, Beneficiorum; quorumque deinceps in æternum esset fruitura: Nunc, in hoc Psalmō, denuò Animam suam ad veram Recognitionem & gratitudinem excitat; non jam occasione beneficiorum cuique redemptæ Animæ peculiarem; Sed illorum quibus tunc Universus terrarum Orbis gaudebit. Quæ quidem Beneficia etiamsi in seipsis innumera sint & ineffabilia, in hoc tamen Psalmō reducuntur ad sex præcipua Capita.

- I. Respectu ipsius Dei, qui tunc demum gloriam & Majestatem suam palam ostendet, vers. 1, 2, 3, 4.
- II. Respectu Firmitudinis Terræ, & quod eam Aquæ non amplius obruent. vers. 5, 6, 7, 8, 9.
- III. Respectu Fontium aquarum, pluviarumque & benedictionum hinc oriundarum, tam Pecori, Volucri & herbae, quam ipsis Terræ incolis. vers. 10, 11 — 19.
- IV. Respectu veræ Ordinationis Lunæ & Solis, Tenebrarum seu Noctis & Lucis seu Diëi, & quomodo Feræ noctu ad rapinam prodeunt, Homo verò de die ad opus suum. vers. 19 — 25.
- V. Respectu Maris, & quicquid in eo est, expressum. vers. 25, 26.
- VI. Respectu istius rerum omnium subordinationis sub Deo, Deique influxus ad omnia & in omnibus. vers. 27, 28 — 33.

En, hæc sunt Capita hujus Psalmi; in quibus nobis gloria Mundi qui tunc erit, velut ob oculos ponitur. Quid attinet Initium & Clausulam hujus Psalmi, de iis singulatim agemus. Et quidem primùm de Initio, reservantes Clausulam usquedum omnia prius Beneficia percurrimus, & ad vers. 33, 34, 35 pervenimus.

Quod Initium attinet, nihil id aliud est, quam id ipsum quod habuimus tam in Initio quam in Fine præcedentis Psalmi, & quod denuò in fine hujus Psalmi re-curret, nempe

ברכִי נפְשׁ אֶת־הַרֹּה *Benedic Anima mea JEHOVÆ.* Unde 1. confirmatur quod suprà posueramus: esse nempe hunc Psalmum & Autoris & Materiæ ejusdem cum proximè præcedente. 2. Inde intelligitur quoque, quod restitutio hæc Mundi hic descripta, verè quid sit quod præcedentem Animæ restitucionem, Psal. C III. descriptam, consequatur: Non aliter ac si homo, ad Animam suam loquendo, diceret: Ecce, tua de causâ totus Mundus turbatus & multis

multis miseriis implicitus fuit. Quemadmodum tui gratiæ creatus fuit, ita tuam ob culpam multa pati debuit: Sed quèmadmodum tuà de causa percessus est multa, & dolores tulit, quamdiu in peccatis tuis permanisti & Infirmitates tuæ non fuerunt sanatae, adeoque & vita tua in perditione adhuc hæreret; Ita nunc, ex quo tibi Misericordia contigit, ejusdem is Misericordiae particeps est factus: Prout tibi contigit, ita & ipsi tui gratiæ contigit. Quocirca si semel tui-ipsius gratiæ Domino benedixisti, nunc ei benedic iterum ô Anima mea, propter Benignitatem & Misericordiam illam, quæ tui gratiæ toti contigit Mundo, quibusque velut coronabitur in omnem usque aeternitatem.

Ut verò hunc renovatum Mundi statum proprius contueamur, age, consideremus sigillatim Sena illa suprà memorata Beneficia, & Psalmi hujus Capita: Quorum Primum continetur vers. 1, 2, 3, 4.

— *J E H O V A;* Deus mihi magnificatus es vehementer : gloriam & decorum indu-
tus es. 2. Qui operit se lumine tanquam vestimento, qui extendit Cœlum velut Cortinam.
3. Qui contignat in aquis Cœnacula sua, qui ponit nubes currum suum, qui ambulat super
alas venti. 4. Qui facit Angelos suos, Spiritus: ministros suos ignem flammantem.

Primum itaque beneficium, quod ex hac Animæ restitutione totus Mundus reportabit, est, quod ubi prius J E H O V A in oculis hominum valde exilis erat, & ignotus, nunc vehementer magnificus fit apparitus; ubi olim in Christo multa sustulit opprobria, ibi tunc gloria & Majestate induetur; ubi antè Tenebris velut vestimento amictus erat, adeò ut vix à quoquam dignosceretur; Imò & à multis negaretur; ibi tunc Lumine velut veste operietur, adeò ut eum omnis Caro sit visura, & omnes tribus Terræ coram eo pœnitentiae planctum sint plancturæ vers. 1. Apoc. 1. 7. Ubi prius Cœlos contrahere fuerat solitus, coelestia sua ab hominum oculis recondens; ibi nunc extendet Cœlos, & eis prætensam Cortinam removebit, facietque ut, Templo in Cœlis aperto, ipsa Arca Fœderis inibi conspicatur. Apoc. xi. 19. Ubi prius Cœnacula sua in Cœlis superioribus haberat, longè supra Aquas, Nubes & Ventos; ibi nunc in ipsis Aquis Cœnacula sua contignabit, & ponet nubes currum suum, & super alas ventorum ambulabit: ut tam homines in terrâ, quam Angeli in Cœlis videant ipsius gloriam possint. Esa. vi. 3. vers. 3.

Et præter hoc, quodd ejus gloria & Majestas ipsa adeò relucebit & conspicua erit in terris; hoc accedit, quod etiam Angelos ejus, & Ministros, qui prius sua opera occultius solebant exequi, faciet tanquam Ventos, ratione operacionum magis manifestarum & in sensu incurrentium, & velut ignem flammandem ratione penetrantia & ardoris majoris, in executione Judiciorum Dei in terris. vers. 4. Sic strītum Primum Caput, quo nobis gloria Mundi tunc futuri exhibetur, idque respectu Dei ipsius & Angelorum ejus, quæ tunc demùm omni Carni manifestabitur, perlustravimus.

Secundum Caput, respectu Terræ scilicet & firmitudinis ejus, illud expreßum habemus vers. 5, 6, 7, 8, 9.

5. Fundavit TERRAM super bases suas, ne moveat se in seculum & seculum.
6. Voragine tanquam vestimento operueras eam; super montes steterunt aquæ. 7. Et ramen ab increpatione tua fugient, à sonitu Tonitri tui festinabunt. 8. Montes ascendent

& descendent valles ad locum istum quem fundasti eis. 9. Terminum posuisti eis quem non transibunt: non revertentur ad operiendum Terram.

Secundum igitur Beneficium, quod ex hac Animæ restitutione totus Mundus reportabit, est, quod ubi nunc, à tempore Diluvii & deinceps, Terra, sive per Terræ motus, sive per Aquarum Inundationes & Maris exæstuationes, multis obnoxia fuerit vicissitudinibus; Illa tunc, tempore hujus Restitutionis, super bases suas fundabitur. vers. 4. adeo ut in æternum non vacillet amplius, aut Mutationi ulli sit obnoxia futura. De hac Terræ Firmitate, velut fundatâ super Mare & Flumina, absque eo ut noxæ aut detrimenti quicquam inde unquam patiatur amplius, lege Psal. xxiv. 2: & præcipue Psal. xcii. 1. ubi non aliter ac heic, Beneficium illud (velut quiddam Revelationis gloriae & potentiae Dei consequens) adducitur, quod in Regno Christi demum locum habebit. Nam Psalmista, postquam ibi dixisset, *Gloriam induit; induit Jehovah fortitudinem, accinxit se,* statim addit, *Etiam firmavit Orbem ne se moveat.* Et suprà ex Psal. 78. vers. 69. docemur de Terrâ quam fundavit Deus in seculum: quod certè aliò non respicit, nisi ad hanc omnium rerum Restitutionem.

Objet. At dicet quis, Nonne à prima Creatione Terra semper stetit firma? An non Psalmista ad Dominum dicit *Tu fundasti Terram, & perflat.* (Psal cxix. 90.) Et annon Ecclesiastes C. 1. 4. disertè affirmat, quod una generatio labatur, & altera adveniat; Terra autem in seculum stet. Quomodo igitur dicas tu, hoc demum in Mundo futuro, & tempore restitutionis omnium, velut Secundum, quod ex restitutione Animæ toti Mundo superveniet Beneficium, locum esse habiturum?

Resp. Ad hoc respondeo, quod quidem Terra in Centro, seu imo fundo suo semper firma & immota fuerit, veluti in Verbo Dei fundata: sed nihilominus, quod respectu externæ suæ formæ & partium totius Corporis sui, illa, à tempore Diluvii multis mutationibus & vicissitudinibus fuerit obnoxia; quæ tunc, tempore Regni & Restitutionis omnium, nullum amplius locum habebunt. Tunc enim non solum ad Centrum, & imum fundum suum, sed & per totum Corpus, & omnes ejus partes, firma & immota manebit; absque eo ut unquam amplius, aut à Terræ-motu disrumpatur, vel heic aut illic submergatur & inundetur. Et quod hic huius verborum sensus sit, sole clarius liquet ex ipsa Beneficii ampliatione, quæ habetur vers. 6. *Voragine tanquam vestimento operueras eam: super montes steterunt aquæ: & tamen ab increpatione tua fugient, a sonitu tonitri tui festinabunt. Tunc ascendent Montes & descendunt Valles, ad locum istum quem fundasti eis.* Ubi disertè præsens Terræ status comparatur cum illo qui tunc erit: nempe, status qui inde à Diluvio toti Mundo supervenit, in quo Aquæ usque ad suprema Montium cacumina ascenderant (Gen. viii. 19.) cum illo, qui erit tempore Secundi Adventus illius, qui etiam potestatem habet super Ventos & Mare. Marc. iv. 39. De præsenti statu afflerit, quod, inde à Diluvio, Deus Voragine tanquam vestimento Terram operuerit,stantibus tunc aquis supra Montes; Ast de futuro ait, *Quod tunc aquæ ab increpatione Domini fugient & à voce tonitri sui festinabunt: unde Montes & Colles iterum caput exerent, loco quem Deus cuique destinavit.* Et quod plus est, ne quis ultra dubitet, quin heic agatur de alio Terræ statu quam præsente hoc;

audi quid Psalmista vers. 9. tam de Aquis quam de Terrâ adhuc subjungat, cùm dicit: *Terminum posuisti eis quem non transibunt: non revertentur ad operiendum Terram.* Quid clarius, ad intelligendum, quod tempore Regni Christi, Terra aliam habebit constitutionem, ac nunc habet? *Quod nunc quidem Aquæ, multis in locis, Terram velut vestimento opertam & tectam teneant;* sed quod tunc Aquis suus terminus ponetur, quem non transibunt amplius! Et hoc est quod Johan. innuit, quando de Novo Cœlo & Nova Terra quam videbat, loquens, dicit, *Nam prius Cœlum, & prior Terra abierat, & Mare non erat amplius.* Apoc. xxii. 1. Scilicet Mare illud quod Terram multis in locis velut vestimento operit, & unam Continentis partem ab alia divellit; quemadmodum in hunc usque diem Mare adhuc facit. Sed erit tunc temporis Mare, sicut fuit in principio, & unde Nomen quoque sortitum dicitur (Gen. 1.) *Congregatio aquarum in unum locum:* absque eo ut terminum, quem Deus ei tunc ponet, ullo modo transgredietur. Nam quod alioqui, stante Christi Regno, Mare futurum sit, evincunt hæc Psal. LXXij. vers. 8. ubi exerte de hoc Regno agitur, verba: *Et dominabitur à Mari usque ad Mare, & à flumine usque ad terminos terræ.* En, ibi habes Secundum, quod ex Animæ restitutione toti Mundo resultabit Beneficium. Sequitur Tertium, vers. 10, 11 — usque 19.

vers. 10. *Qui emittit fontes in convallisibus, inter montes ambulant.* 11. *Potum dant omnibus Bestiis agrestibus, frangunt Onagri fitim suam.* 12. *Juxta eos fontes volucres Cœli habitant, inter frondes dant vocem.* 13. *Qui irrigat montes de superioribus suis, de fructu operum tuorum satiabitur Terra.* 14. *Qui germinare facit fœnum pro fumentis, & herbam ad usum hominum, ut educat panem e Terra.* 15. *Et Vinum quod latifaciat cor hominis, ut faciem nitere faciat præ oleo:* & *panem qui Cor hominis fulcit.*

16. *Saturantur arbores* ॥ ॥ ॥ &c.

Non fuisset fatis ad omnimodam Terræ benedictionem, quod Maris aquæ à facie ejus essent repulsa, & in loco sibi proprio determinatae, nisi etiam Aquarum scaturigines & fontes è Terrâ, & Pluviae è Cœlo darentur: hæc enim duo, ad omnimodam in Terra benedictionem, summe necessaria sunt. Et Primum quidem ratione Animalium omnium Sylvestrum & Volucrum; alterum, ratione omnium Terræ fructuum, in alimentum & refocillationem tam Hominum quam Bestiarum. Ideo ad Tertium, quod ex Animæ restitutione toti Mundo imminent Beneficium, nobis haec duo heic notantur. Primum, vers. 10, 11, 12. quoad Scaturigines & fontes aquarium, quas Deus tunc in vallisbus & intra Montes emittet, unde omnia agri animalia, etiam ipsi Onagri, potabuntur; nec non & Volucres Cœli qui vocem inter frondes edunt.

Alterum, vers. 13, 14, &c. quoad Pluvias quas Deus ex superioribus Cœlorum Cœnaculis mittet, etiam super Montes altissimos; unde Terra, tanquam ex fructu operum Deus plenè satiabitur. Quæ Terra ita è Cœlo saturata, tunc demum plenam Benedictionem, juxta omnem sibi primitus inditam virtutem, proferet; tam in herba, pro Animalibus, quam in omni fructuum & granorum genere, pro Hominibus. Inprimis vero mentio heic fit *Panis & Vini*, vers. 15. quorum iste dicitur Hominis Cor fulcire, scilicet *Panis*; hoc vero Cor ejus læticare, & faciem nitere facere præ oleo, scilicet *Vinum*:

De

De quo & Jotham, filius Gideonis, affirmat, quod & DEUM & homines laetificet. Jud. ix. 13.

Et, ut adhuc altius Mundi futuri statum, super omne quod haec tenus in Mundo visum unquam fuerit, Psalmista evehet, addit, quod non solum Terra, quæ ab homine excolitur, illo tempore pluvia & benedictione è Cœlo satiabitur: Sed quod & Arbores Domini, & Cedri Libani, quas ipse-met plantavit, æquè pluvia & benedictione saturabuntur, ac quæcunque alia, quæ in Terris erunt: Idque in his verbis vers. 16, 17, 18.

16. Saturantur arbores **cedri libani**, Cedri Libanon, quas plantavit. 17. Ut ibi Aves nidificant: Ciconiae, abietes sunt Domus ejus. 18. Montes excolsi Ibicibus, Petra hospitium Leporibus.

Per Arbores **Jehove**, sicut & per **Cedros Dei**, Psal. lxxx. 11. velut heic vocantur **Cedri Libanon**, quas ipse **Dominus plantavit**, non propriè heic intelligimus Arbores, quæ tunc erunt, & non minus quam aliæ ab hominibus plantabuntur & ordinabuntur; Sed per eas intelligimus **Justos** illos qui tunc hæreditario Jure Terram possidebunt, de quibus loquitur Propheta, quando dicit: *Populus tuus omnes erunt Justi, in sæculum hæreditate accipient Terram; etique virgultum plantationis meæ opus manuum mearum, ut glorificer.* Esa. lx. 21. Et Cap. lx. 3. Item & suprà Psal. lxxx. ubi Israël, quem Deus ex Ægypto eduxerat, & in Terra Canaan plantaverat, Vineæ assimilatur; ibi **Palmites istius Vinea** perinde ac heic **Cedri Dei**. vers. 11. nuncupari videmus. Nam quemadmodum jure merito populus iste tunc **Planta Domini & Cedri Dei** nuncupabatur, quia Deus, expulsis è Terra Canaan Inquilinis gentibus, eos ibi plantaverat; Ita & eodem jure Justi ii, quibus Deus aliquando totam Terram hæreditario jure poscidendam dabit, eos ibi plantans unde Injustos ejecerat, **Plantæ Domini & Cedri Dei** nuncupari quoque possunt, quas ille plantavit.

De hisce Arboribus porrò dicitur, quod ibi **צְפָרִים** Aviculae nidificant: quemadmodum enim Ayiculae libenter nidos struunt in maximè proceris & latè expansis arboribus; Ita quoque in Regno CHRISTI, erunt nonnulli inter Filios hominum, qui Justos hosce, velut Arbores Justitiae in Atriis Domini plantatas contemplantes, haud aliter afficiuntur, ac ille qui dicebat Psal. lxxxiv. 3, 4. *Concupiscit, & etiam deficit anima mea ad atria JEHOVAE: Cor meum, & Caro mea exultant ad DEUM vivum. Etiam צְפָרִים Avicula, seu Passer, invenit domum, & Hirundo nidum sibi in quo ponat pullos suos, nempe, Altaria tua JEHOVA Exercituum, Rex mi & DEUS mi.* Qui verò ita loquentur & tale desiderium, quale ad hoc requiritur, ostendent, illi sunt Aviculae istæ, qui in Atriis Domini inter Arbores hasce nidos suos struunt, & pullos suos ad Altaria Domini ponent. Ne autem mirum tibi videatur, hisce Arboribus tantam virtutem tribui, ut etiam peregrinæ aviculae ibi nidos struere, & pullos ponere, concupiscant; vide quid Ezech. xlviij. 2. & Johannes Apoc. xxij. 2. de Foliis dicit Arborum in atris domus Domini plantatarum, quod nempe ad sanandas Gentes, conducent. Huc quoque videtur spectare, quod in Euangeli Matth. xiiij. de Aviculis Cœli dicitur, quod venient & nidos facient

in ramis arborum istarum, quæ primæ exiguae fuerant instar Seminis Sinapi, sed posteà excreverant supra Olera omnia. Quando enim Dom. Jesus Regnum Cœlorum accomparat Semini Sinapios, quod primùm minimum sit omnium Seminum, sed quando succrevit, maximum fuit omnium Olerum, & quidem Arbor, in quâ aves Cœli nidos facere veniant; quid aliud innuere vult, quâm quod Justi illi, qui nunc tam pusilli & contemptibiles sunt, futuros aliquando Arbores, in Atriis Domini plaustratas, in quibus multi nidos suos ponere venient?

Porro, quod heic de Ciconiis subjungitur, quod illæ in Abietibus domus suas habeant; & de Ibicibus, quod illi in Excelsis montibus, nec non & de Leporibus, qui in rupibus refugium & hospitium suum querant; id non propriè de Animalibus istis eorumque Domibus & Hospitiis intelligentum fenserim; Sed, ut incepit allegoria filum prosequamur; malim heic concipere, per tria illa diversæ conditionis Animalia, triplicem Hominum, qui tunc in Terrâ, extra Terram Sanctam, extabunt & mansionem suam habebunt, conditionem adumbrari. Quod autem hæc ita spiritualiter interpreter, duplex est ratio, quæ me èd inducit. Prima est, quod alioquin, in hac solenni status futuri Mundi descriptione, nulla omnino mentio suorum Incolarum & distinctarum eorum Conditionum fuisse facta: quod grande nimis absurdum esset. Altera est, quod si vers. 16, 17, & 18. ad nihil aliud respexissent, quâm ad Arbores & Aviculas, ad Ciconias, Ibices & Lepores; quod tunc Psalmista heic nihil aliud dixisset, quâm quod veribus 11, 12, 13, jam antè dixerat.

En, sic vidimus quoque jam Tertium, quod ex restitutione Animæ toti Mundo superveniet, Beneficium; sequitur Quartum, descriptum vers. 19,
20 — 25.

19. *Fecit Lunam in tempora, Sol novit Occasum suum.* 20. *Ponis tenebras, Est Nox: In ipsa reptat omnis Bestia Sylvæstris.* 21. *Leunculi rugiunt ad prædam, Et ad querendum à Deo escam suam.* 22. *Oritur Sol, congregant se, Et in habitaculis suis accubant.* 23. *Tunc egreditur Homo ad Opus suum, Et ad culturam suam usque ad vesperam.* 24. *Quam multiplata sunt Opera tua Jehova? Omnia ipsa in Sapientia fecisti: impleta est Terra possessionibus tuis.*

Postquam Psalmista pro Beneficio Tertio nobis ostendisset, Quomodo, stante hoc futuri Mundi statu, Terra tantopere omni benedictione esset cumulanda, tam respectu Pecorum & fructuum Agri, quâm respectu hominum, qui velut Cedri D e i & Plantæ Domini in Atriis ejus erunt plantati; vel ut Ciconiæ, Ibices & Lepores alibi extra Terram Sanctam Domicilium habebunt; nunc venit, & pro Quarto Beneficio nobis repræsentat, Quid discriminis futurum sit, inter illud D e i, quod nunc in præsenti Mundi statu obtinet, Regimen; & illud quod in futuro conspicietur. Prius accomparat Lunæ, quæ stata sua tempora habet; Posterior autem Soli, qui novit, quando occidet & quando oriatur. Illud Regimen Notis est, sub quo exit omnis Bestia Sylvæstris, & Leunculi ad prædam; hoc vero Regimen est Diei, à quo omnis fera se abscondit, Homo vero ad opus sibi competens & laborem diurnum exit.

Quod vero hæc ita sint intelligenda, & non ad literam de D e i in hoc Mundi statu

statu providentiâ , patet *primum* ex eo , quod heic Luna ante Solem ponatur ; ubi alias , in historiâ Creationis & per consequens in præsentis Mundistitu , Sol , velut majus Lumen , Luminam præcedere deberet . *Gen. i. 16.* Ast in Mundo qui futurus est , ibi videbitur , quomodo Luna statasua tempora absolverit per occasum Solis , antequam Sol ritè prodeat ; & quomodo Animalia Terræ & Piraticarum Monarchiarum Bestiæ (videl . Assyriorum Leo , Persarum Ursus , Græcorum Pardus & illa maximè omnium formidabilis Romanorum Bestia) statuta ipsis tempora absolverint , antequam Sol Justitiæ ritè exoriatur , & omnes istas Noctuas & Prædatorias Lucifugasque Bestias fuget ; ut tandem aliquando verus Adam ad opus suum , & laborem ad quem à Deo creatus & in Terra plantatus fuerit , exeat .

Deinde , patet quoque ex Regiminis futuri naturâ , collatâ cum præsenti , heic non respici in statum præsentis sed futuri Mundi , & eatenus non deberi hæc verba ad literam sumi , sed spiritualiter esse intelligenda : Nonne enim hoc verum , quod Dominus Deus L U N A , hoc est , omni bujus Mundi transitoriae & mutabilis figuræ sua stata tempora concesserit ; Et quod interea S O L , hoc est , æternum & immobile illud Regnum , quod in futuro Mundo manifestabitur , suum Ingressum קָרְבָּא seu Occasum noverit ? Nempe , quamdiu durabit , quod Sol infra Horizontem manebit : prout his verbis innuitat : *Fecit Lunam in tempora , Sol novit occasum suum* . vers . 19. Et annon verum est , quod quando peccatorum tenebras permilit aut immisit Deus , Nox illa venerit , in quâ omnes Bestiae Agri , omnes rugientes Leones & prædatoriæ ferae exiverint ad escam suam quærendum , non aliter ac si quod cæperint , à Deo ipsis effet donatum ? Item , nonne verum est , quod quandocunque iterum exorietur Sol Justitiæ , se tunc Lucifugæ istæ Bestiæ proripient iterum & in antra sua se recondent ; dum interea se Homo tunc demum ad Opus illud ad quod à Deo , ante jacta Mundi fundamenta in C H R I S T O destinatus fuit , conferat ; usque dum totum plenè adimpletum , & Regnum Patri traditum sit ?

Hinc est , quod meritè Psalmista , summè admirabundus , exclamat . O quâ magna sunt Opera tua ! Postquam enim vers . 23. de hoc Homine ad opus suum & ad culturam suam usque ad vesperam , egresso , egisset , illicè vers . 24. subdit , *Quâ multiplicata sunt Opera tua J E H O V A ! Omnia ipsa in Sapientiâ fecisti : impieta est Terra possessionibus tuis* . Perinde ac si diceret , quemadmodum Psal . 92. 6. *Quâ magna sunt Opera tua J E H O V A ! valde profunda sunt Cogitationes tuae . Vir insipiens non cognoscit , neque stultus intelligit istud* , Quomodo scilicet Impiis sua tempora permittis , eos florere sinas sicut herba , & operarios Iniquitatis flores emittere , ut dissipentur ipsi in æternum : Et quomodo interea Electos tuos , Operarios scilicet Justitiæ , preparasti , ut quando primi isti suam scenam absolverint , & è Terra eradicati fuerint , ipsi foli in æternum jure hereditario Terram possideant . Enim in hoc consistit Sapientia Tua , ad quam omnes Impii obmutescere debebunt , & de quâ omnes Pii te in æternum sunt laudaturi : Nec non in hoc , quod hoc ipso Terram adeo bonis tuis replebis , ut quæcumque se quis vertat , ad mirabundus exclamare homo debet , dicens : *O Abyssum divitiarum Sapientia & Cognitio- nis Dei ! Eccl. Rom. xi. 33.*

Ecce, jam Quartum quoque Beneficium, quod toti Mundo ex restitutione
hac est superventurum lustravimus: Sequitur nunc Quintum, quod his verbis
continetur; vers. 25, 26.

Vers. 25. *Hoc Mare magnum & latum locis: ibi reptilia, quorum non est numerus,
bestiae pusillae cum magnis. 26. Ibi naves ambo abunt, Leviathan iste quem formasti ad
ludendum in eo.*

Quid dicemus hoc Mare esse? Numquid per id intelligemus Aquas illas, de
quibus suprà ad vers. 9. audivimus, quod Dominus iis terminum posuerit, quas
non transgredientur, ad operiendum terram sicut haec tenus? Dico, quod non:
Sed quod Spiritus Sanctus, quem semel incépisset futuri Mundi statum Mysti-
co & figurato modo exponere; imprimis quando jam Justos homines, qui Ter-
ram escent possessuri, Arboribus quas Dominus plantavit, assimilasset vers. 16.
Et quando, prius Regimen comparaturum cum futuro, de illo locutus fuisset
tanquam de Opere tenebrarum, & Ferarum sylvestrium violentia & rapina; de
hoc vero, tanquam de Opere lucis & diei, in qua homo ad laborem quem Deus
ei imposuit, exeat: Quod nunc quoque, expositurus statum & conditionem
eorum, qui ab hoc Regno seclusi, in peccatis & iniquitatibus suis invenientur,
adeoque in angustiis & miseriis jacebunt, id perinde faciat Mystic & figurato
loquendi modo: Anxium illum Animarum, in has miseras devolutarum, sta-
tum Mare nuncupans magnum, & latum locis; ubi sint reptilia, quorum non
est numerus, Bestiae pusillae cum magnis. Nam si Prophetæ, in Threnis suis su-
per Sion, dicendo *Contritionem suam esse velut Mare* (cap. 2. 13.) Misericordia ejus
Mari assimilat, quid mirum, quod heic quoque Spiritus Sanctus Mystic & figu-
rato modo de statu illo Animarum defunctorum locuturus, in quo erunt illi,
qui stante hoc Saeculorum Regno in terris, in peccatis & miseriis suis invenien-
tur, de eo loquatur tanquam de Mari, quod Magnum, & locorum spatiis am-
plissimum & latissimum sit, & ubi Animæ, tam pusillæ quam magnæ, velut reptili-
lia, magno numero, includantur. Vocabulum רַכְבָּשׁ quod heic *reptilia* verti-
mus, derivatur à radice רַכְבָּשׁ calcavit, conculcavit; quæ omnia non male in il-
las quadrant animas, super quas Maledictio illa Serpentis (Gen. 3. 14). *Super
ventrem tuum gradieris & pulverem comedes cunctis diebus vita tua*) locum habebit;
prout tunc habitura est in iis, qui in Peccatis suis mortui, atque eatenus à statu
Salutis exclusi reperientur. Quemadmodum enim Numero erunt velut reptilia
terrae, ita & conditione erunt Serpentis similes, gradientes super ventrem suum
& pulverem terræ lingentes, dum interea Sancti Excelsa terræ occupabunt, &
Cœlestibus pascentur delitiis.

De Numero istarum Animarum non est quod miremur, Quum enim ex tanta
multitudine quea ex Adamo prodierunt, paucæ tantum dicantur viam Vitæ in-
venire, Matth. VII. 13, 14. aut dignæ que cum Abrahamo, Isaaco & Jacobo
terram hereditario jure possideant; necessariò sequitur, quod in hoc Mari,
quod à terra in circuitu separatum erit, innumera quasi vermiculatio Animarum,
tam Magnorum quam pusillorum hominum, tam Principum & Nobilium viro-
rum, quam infimæ plebis, sit futura. Nec erit hoc piis Animabus exiguum be-
neficium, quod videbunt hasce Impiorum Animas omnes à se ita esse disjunctas
& fe-

& separatas, non aliter ac Aquæ Maris ne revertantur ad operiendum terram.

Ast dicet quis, *Si hæc mysticè intelligenda & interpretanda sunt, quorū sum heic Nāvium mentio?* Quid sibi vult, quod heic de Leviathan sermo sit, qui in Mari ludum suum habeat? Resp. Optimè hæc quadrare. Verba textus sic sonant vers. 26. Ibi naves ambulabunt, Leviathan iste quem formasti ad iudicandum in eo. Non enim habetur, ut plerique vertunt, *Ambulant*, quali heic de illo Mari sermo esset ubi nunc Naves nostræ ambulant: sed ibi naves יְהֹלָכִן ambulabunt, scilicet in tempore isto Regni Christi in terris; tunc enim erunt quoque Naves, ad piscaturam in isto Mari exercendam, vel ad Animas lucrandas, easque ex regno Leviathanis, qui ludum suum cum iis habet, eruendas. Quod enim Jesus, ad Mare Galilæum ambulans, Simoni & Andreæ olim dixit: *Sequimini me, & ego vos faciam Piscatores hominum* Marc. i. 17. Id non respexit tantummodo illam hominum piscaturam, quam illi tunc temporis per Euangeliæ prædicationem exercuerunt, sed aliam longè majorem, & in ultima hæc Mundi tempora reservatam. Quicquid enim & ipi, & Apostoli omnes, nec non & omnes fidei Christianæ Doctores in hunc usque diem, omni suâ punctione fecerunt, nil nisi Primitias tantum hujus Piscaturæ seu Primogenitos inter filios hominis, collegerunt. Et proinde si unquam totus Adam, seu universus genus humanum, ex hoc Peccatorum & Misericordiarum Mari expiscandus & eruendus adhuc est, oportebit in futurâ vitâ, seu Regno Christi, adhuc plures quam unquam Piscatores emitte, eorumque Naves tam diu ultra citroque ambulare, usque dum omnia adimpleta fuerint, Christusque totum Adamum reduxerit; non aliter ac ante illud tempus jam constabit, quod Deus totum Israelem salvaverit. Rom. xi. 26. De Piscatoribus hisce vide Jer. xvi. 16. ubi dicitur de illo tempore sermo est, quoniam tota Domus Jacobi, ex omnibus Mundi finibus in suam Terram reducta erit. Ethoc est quod Psal. LXVIII. innuitur, quando dicitur: *Ego, reducam ex Basan; Ego, dicit Dominus, reducam ex profundo Maris.* vers. 23. hoc est, ex illa Misericordiarum abyssō, in quâ illa Animarum damnatarum & à Beatis separatarum multitudo jacet, reducam nunc has, nunc illas.

Quoad Media ad hanc reductionem conducentia, illa heic Naves nuncupantur, quæ tunc isto in Mari ambulabunt, suamque piscaturam exercebunt. De quod spirituali Mari & Navibus vide quæ in Apoc. viii. 9. notavimus. Quod attinet Leviathanem heic memoratum, quique hoc in Mari dominatur, is non est alias, quam tortuosus ille Serpens, de quo Esa. xxviii. 1, & Job xl. 1: scil. *Diabolus & Satanás* ille, qui se tunc exulem & proscriptum est terrâ, & in profundo Maris seu Abyssō, inclusum videns, ludum aggredietur ibi haud absimilem isti quem Ismaël cum Isaaco instituebat. Gen. xxii. vers. 9. quem lusum Apostolus persecutionem nominat. Gal. iv. 29. Nam & in hunc finem formavit Deus Leviathanem, nempe, ut quemadmodum nunc in terrâ, inde à Caini prædominio, Behemoth, prior illa Bestia, Dei consilio servivit; ita quoque Leviathan hic, seu Monstrum Secundum, in Mari futuri seculi, Deo similiter sit servitus, Animas torquentio non aliter ac prior Bestia Corpora torserat.

Et, quod hæc ita sint, esse nempe hoc Leviathanis negotium referendum ad tempus tunc demum futurum, quando Deus de sanguine Justorum ab Incolis terræ

terrae vieditam sumet, sole clarus liquet ex Loco Isa. xxvii. 1. collato cum verbu ult. Cap. xxvi. Item, ex eo quod Dominus, pro summo & ultimo suorum operum Iubo de hoc Leviathanus recenset, Cap. 41. Illum taliter describens, ac nunquam in ullam in Terris creaturam possit applicari; eum nominans Regem super omnes Elatos. Job. xl. 25. Quis enim ille esse posset, praeter Leviathanum, tortuosum illum Serpentem seu Satanam, qui se effert super omnes Elatos? adeoque Elationi omni, in animabus deprimendae & conculcandae instruimus?

At scrupulum quis moveat, dicendo: *Si per Leviathanum Satanus est intelligendus, quomodo de eo dici potest, quem tu formasti ad iusendum in eo? Num Deus dici potest formasse Satanam, ut in hoc Mari, & Miseriarum Animæ abyso, iusum suum, id est torturam & carnificinam suam, exerceret?* Respondeo. Eodem prorsus sensu, quo de Deo dicitur, eum creasile tenebras æquæ ac lucem, & Instrumenta Irae formasse æquæ ac Gratiae Instrumenta; Eodem quoque dici de eo jure posse, quod Satanam formarit & præparaverit; ut sit, *Primò, velut Behemoth, Bestia valde terribilis & formidabilis, stante hoc presentis Mundi grossiore regimine carnali; ut ibi scenam suam ageret Deique consilio serviret.* Deinde quoque, finito hoc seculo, sub futuro renovati Mundi Regimine, velut Leviathan, (aliud genus terribilis Monstrum Marini) ut etiam inter Animas illas, quæ à Pīis non aliter ac aquæ Maris à Terra tunc separatae erunt, suam personam agat, & Dei consilio subserviat. Id quippe illud est, quod Salomon inculcat, quando dicit, *Quod Deus omnia operatus fit propter seipsum, & etiam Impium ad diem malam,* Prov. xvi. 4. Ergo non solum Behemot formavit ad tentandum & exercendum eos qui in corpore terram adhuc incolunt; sed & Leviathan ad animas similiter, quæ è terra delectæ, & in magno latoque Mari fluctuantes sunt, tentandum & exercendum.

Ait instet forte quispiam, dicendo; *Quid Deo inde emolumenti aut gloriae, quod hunc Leviathan, Malignum hunc terribilissimumque Serpentem formet, eique talem in Animas hominum potestatem det, qualis describitur Job. xl. 1.* Ad hoc in Sexto hujus Psalmi Cypite Responsum nobis luculentum suppedit, vers. 27, 28, &c.

27. *Universa ipsa in Te sterabunt, ut des escam ipsorum in tempore suo.* 28. *Dabis eū, colligent: aperies manum tuam, saturabuntur bono.* 29. *Abscondis faciem tuam, turbabuntur: auferes spiritum eorum, deficient, & in pulvorem suum revertentur.* 30. *Mitteres spiritum & creabuntur, & innovabis faciem Terræ.* 31. *Erit gloria Iehovæ in seculum, lætabitur Iehovæ in operibus suis.* 32. *Qui afficit terram & tremit: tangit montes, & sumant.*

En, hoc est emolumentum, & hæc gloria, quam Deus ex hoc Leviathan quem formavit, reportabit; quod tandem omnes istæ Animæ, quæ sub potestate & prædominio ejus exercebuntur, videntes quomodo ab eo deceptæ & seductæ fuerint, & ille eas in miseriis suis continuo nisi toserit & ludificaverit, tunc demum ritè incipient de Deo cogitare, ejusque desiderio flagrare. *Universa ipsa in te sterabunt, ut des escam ipsorum in tempore suo.* vers. 27. Quasi diceret,

Antehac, quædam in Mundo adhuc erant, Deus à paucis agnoscerebatur Animabus pro eo quod revera erat, nempe pro Creatore & Conservatore vitæ & essentie humanæ. At nunc, in hoc Miseriarum Mari, in hoc Leviathanis regno (quod posthac manifestabitur, & in quo demum quisque videbit, quid hic

neglexerit & propter quæque patiatur.) *Ibi omnes expectant Jherusalem, magis quam custodes ipsum manè; magis inquam, quam custodes ipsum manè.* Pl. 130.6. ut tandem, exorto Sole justitiae, dispellantur sensim tartareæ suæ tenebræ: prout enim tunc omnes defectum, paupertatem, & miseriam suam funditus agnoscunt, ita & verè Escam illam Dei, quam olim neglexerant, esurire & sitiire incipient. Et quamvis prælongum & dolorosissimum ipsis erit suarum angustiarum & misericordiarum tempus, nihilominus, ex vivo suæ indignitatis sensu, & pro meritæ à Deo pœnæ irrefragabili justitiæ, non audebunt Domino terminum præfigere, sed in desiderio & spe expectabunt, (id enim verbum שׁבָּשׁ implicat verl. 27.) ut *des escam ipsorum in tempore suo h. e.* quando ipsi, secundum viscera Misericordia & æternæ Sapientiae suæ consilium, placuerit; non secundum hominis sed secundum Dei voluntatem; quando ipse videbit tempus esse miserendi, & præ esurie languentes animas de micis Mensæ suæ cibandi. Ex Psalmo enim c. 11. (qui propriæ Oratio est ejusmodi affl. &c.) abundè liquet, quæ intervenire oporteat, priusquam dicere liceat: *אתה חקם תרומות צוין* *Tuxurges, misereberis Sionis;* *quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus statutum.* Ps. c. 11. 14. At tamen, quicquid interveire oporteat, & quocunque requiri tempus debeat, antequam aliquam cœlitus Anima consolationem obtinere queat; audi quid heic Spiritus subjugat verl. 26. *חרו לודם* *Dabis eis* (Escam scil: quam in spe & desiderio expectant) *colligent eam: aperies manum tuam, & saturabuntur bono.* verl. 28. Quasi diceret; Intercedat licet pro Justitiae & Veritatis tuae exigentia, intervallum temporis quodcunque, in hoc non deeris, quin reverè venias aliquando, & Escam dabis tempore oportuno. Et tunc Escam illam non amplius, prout olim, despiciunt aut pedibus conculcabunt; sed ad minimam usque micam, colligent, & cordi apponent. Et quô Dona tua majoris æstimaverint, & in usum suum rite converterint, eô largius tu manus tuas aperis, eosque Bono tuo plenè saturas. *Aperies manum tuam & saturabuntur Bono.* verl. 28.

Priusquam autem res eò perducatur, ut Anima omni bono faturetur, atque ita ex hac Miseriâ penitus eruatur; notatur nobis verl. 29. & 30. res Ingentis Mysterii, cuius nemo facile intelligentiam assequetur, nisi prius quid tale ipse expertus fuerit: Nempe, *Quomodo, etiam post multas spirituales & cœlestes Confessiones & refocillationes, Deus faciem suam ab homine recondat;* unde ipse vehementer confusus, percussus & turbatus hæreat, nesciens quid se vertat vel quid sibi actum: *Abscondes faciem tuam, & turbabuntur* verl. 29. Deinde, quomodo quandoque Deus homini Spiritum, Intellectum, Voluntatem & Memoriam auferat, unde velut deficit homo, non aliter ac si illico in pulverem & cinerem esset redigendus; & tum iterum Spiritum suum ei immittat, unde profus renovetur homo, velut de novo creatus, & ejus gratiâ ipsa Terræ facies, hoc est tota natura humana, innovetur, & Novis Cœlis novæque Terræ conformatur. *Ausferes Spiritum eorum & deficiunt, & in pulverem suum revertuntur. Mittes Spiritum tuum & recreabuntur, & faciem Terræ innovabis.* verl. 29, 30. Ecce hæc duo Arcana sunt, de quibus Sancti, etiam in hac vitâ, per experientiam testari possunt; ut potè quam heic Gratiae Divinæ se applicantes,

Q

ab

ab eâ sâpe refecti & saturati fuerint. Animæ verò, quæ in hac vitâ Gratiam Dei susque deque habuerint, illæ posthac demùm se illi applicare debebunt, si unquam cum D E O reüniri volent. *Primo*, magnâ cum animi anxietate debebunt expectare Dominum, & suum miserendi tempus, quis scit quam diu? *Secundo*, quando aliquamdiu expectaverint, & tandem aliquid solatii à D E O acceperint, oportebit illud in tanto prelio habeant, ut propterea D E U S manum suam ulte-riùs aperiat, eosque omni Bono plenè saturet. Et *Tertio*, quando & hæc in eis locum habebunt; restabunt adhuc hæc duo adimplenda, priusquam D E U S plenam ab eis gloriam reportet, & in Operibus suis perfectè lætari possit; prout id pro finali scopo habet, cur illam Leviathanî potestatem dabit. Nempe, ut tandem verè dicatur.

31. *Erit gloria jEHOU in Seculum, lætabitur jEHOU in Operibus suis.*
 32. *Qui afficit Terram, & tremit: tinget montes, & fumant.*

Ecce, hoc illud emolumentum, hæc illa gloria est, quam Dominus in æternum inde reportabit, quod Malum seu Malignum hunc, nempe Leviathanem, formaverit, ei potestatem tribuens in Animas illorum, qui quum inobedientes olim fuerint, tandem tamen adhuc ad veram Obedientiam erunt perducendi. Hinc enim in Sæculum gloriam reportabit, & in Operibus suis lætabitur Jehôva: utpote quem omnes Creaturæ adeò suspicent & reverebuntur, ut & Terra ipsa à facie ejus tremet, & Montes in fumum ascendent; non aliter ac si effent igne accensi, quandocunque eos vel levi digito tangat. Perinde ac suprà vers. 4. de Angelis dicebatur, *Jehovam facere Angelos Spiritum & Ministros suos Ignem flammantem*: Ita quoque illud idem de Terra aliquando & Montibus dicetur.

Sic itaque in hoc Psalmo, qui agit de Restitutione Mundi per J. C H R I S T U M faciendâ VI. Capita notavimus, quæ optimè alludunt ad prioris Mundi Sex Dierum Opera; adeoque potenter confirmant, heic de Restitutione agi, quæ per C H R I S T U M in Regno suo fiet.

I. *Caput*, ubi C H R I S T U S se manifestabit velut Luce gloriæ & Majestatis indutus, incendens in Nubibus & ambulans super alas ventorum, &c. 1, 2, 3, 4. alludit ad Opus primæ Diëi, in qua creabatur Lux. Gen. 1, 3, 4, 5. It. 4 Esdr. vj. 40.

II. *Caput*, ubi de separatione Aquarum à Terrâ, & firmitudine Terra deinceps immotâ mansurâ, agitur, vers. 5, 6 — 10. alludit ad Opus Secundæ Diëi, in quâ fiebat Aquarum Separatio. Gen. 1. vers. 6, 7. It. 4 Esdr. vj. 41.

III. *Caput*, ubi de omnifariâ Terræ benedictione, tam respectu Pecorum & fructuum Campi, quâm ipsorum hominum, agitur; quorum quidam velut Cedri in Atriis Domini erunt, & alii alibi extra Terram S. habitationem sunt habituri, vers. 10, 11 — 19. alludit ad Opus Tertiæ Diëi, in quâ Terra producebat gramin & herbam semeniferam; nec non & Arbores Semen suum ferentes secundum cujusque speciem. Gen. 1. 11, 12. It. 4 Esdr. vj. 42, 43, 44.

IV. *Caput*, in quo de Sole agitur & Lunâ, de Die ac Nocte, item de Operibus tenebrarum quæ in hoc Mundo præcedunt, & de Operibus Lucis quæ in futuro obtinebunt. vers. 19, 20 — 25 alludit ad Opus quartæ Diëi, in quâ Sol & Luna creati fuerunt, ad differentiam ponendum inter Noctem & Diem, & ut signa essent Tempestatum, Dierum & Annorum, &c. Gen. 1, 14, 15. It. 4 Esdr. vj. 45, 46, &c.

V. Cz-

V. Caput, ubi de Magno & Lato isto Mari agitur, in quo Animalium Magnorum & Pustillorum tanta est multitudo, & in quo Naves ambulant: Item, ubi Monstrum illud, Leviathan, Iudum & prædominium suum habebit. vers. 25, 26. præpriè alludit ad opus quintæ Diei, in quâ dicebatur: *Producant aquæ reptile animalia viventia &c.* Gen. 1. 20, 21. It. 4 Esd. vi.

VI. Caput, ubi de Reduictione omnis generis hominum, etiam ex ipso Maris profundo, agitur: & quo Medio quibusve gradibus illud effectum sortitur, usque dum tandem Adam, Primus Homo, cum omnibus suis filiis, ad Imaginem Dei restitutus appareat, idque ad laudem & gloriam Omnipotentis Misericordiae Dei, quæ eò rem deducet. vers. 27, 28—33. Alludit ad Opus sextæ Diei, in quâ dictum: *Producat terra animam viventem, quæque secundum speciem suam, jumenta & reptilia, atque bestias terræ secundum speciem suam.* Item, *Faciamus hominem ad imaginem nostram, secundum similitudinem nostram, & dominetur piscibus maris & volatilibus Cœli atque jumentis, & toti terræ omniisque reptili reptanti super Terram.* Gen. 1. vers. 24, 26. Item iv Esd. vi. 53, 54.

Porro, quemadmodum in prima Creatione post sex Dierum opera subsecuta est Dies Quietis, seu Sabbathum, quam Deus in memoriam suorum operum æternam, esse nempe bona omnia, & omni laude & gloriâ dignissima, sanctificavit: Ita heic, in hoc Psalmo qui agit de secunda Creatione seu Restitutione omnium, post opera illa sex Dierum sequitur Opus hoc septimæ diëi, scilicet *Sabbathi opus*, seu veræ & universæ Quietis; idque ad claudendum hunc Psalmum; nempe in his verbis.

33. *Cantabo Jehova in vitâ meâ: psallam Deo meo quamdiu ero.* 34. *Dulce erit cí eloquium meum, ego lñabor in JEHOVA.* 35. *Consumetur peccatores de terrâ, & Impii ultrâ non erunt: Benedic anima mea JEHOVÆ.* Hallelu-Jah.

En! hoc est peculiare Sabbathi opus, Deum laudare & Nomini Altissimi psallere, Misericordiam & Veritatem suam, tam Manè, quam Nocte annuciare, & de operibus manuum ejus ex corde lñatri; prout suprà ex Psal. xcii. & sic porrò usque ad Ps. cix. fusè & potenter inculcatum. Et ad hoc opus concurrent adhuc aliquando omnes Populi; imo & *Gentes omnes quas Deus creavit.* Psal. LXXXVI. 9. Quia verò, Dominus JESUS, velut Mundi Salvator; Primogenitus ille inter multis fratres, & Principium illud Creationis Dei, Primus est qui hoc Sabbathi Canticum, ad mirabilia hujus Restitutionis opera celebranda, cantavit; & quia etiam per eum erit, quod unquam Israël, velcum Israële & post Israëlem omnes in universum Gentes, ad veram hanc Quietem perduicti, hoc Sabbathi Canticum sint cantaturi; ideo quoque is ipius est, & non alias, qui hic introducitur, dicens *Cantabo*, scil. *Ego, Jehova in vitâ meâ, psallam ego Deo meo quamdiu ero.* vers. 33.

Et quemadmodum Dom: JESUS, verus ille filius Davidis, in quo & per quem omnis in nos benedictio derivari debet, heic loquitur; ita quoque loquetur aliquando unusquisque in Israële, & postea quoque quilibet filius Adami, ex Populis, Gentibus, & Linguis, dicendo, *Cantabo JESU in vitâ meâ, psallam Deo meo quamdiu ero.* Et quando hoc fiet, tunc verè dici poterit quod Johannes de CXLIV Millibus quos in Monte Sion viderat, affirmat: *Quod cantarent*

Canticum Agni, dicentes: *Magna & mirabilia sunt Opera tua, Dominus Deus omnipotens: justae & verae sunt viae tuae, Rex Sanctorum. Quis non timebit Te Domine, & glorificabit Nomen tuum? Nam solus Sanctus es.* Omnes enim Gentes venient & adorabunt eorum te: nam Iudicia tua patefacta sunt. Apoc. xv. 3. 4. Et vere quoque illi, qui etiam post perpetua gravissima Iudicia, tandem compertum habebunt, omnia illis in bonum cessisse, asserere poterunt, sibi patefacta fuisse Dei Iudicia; quo nomine etiam Dei erga se Opera, in aeternum lumen laudatur & celebratur, Non men ejus in aeternum glorificantes, ejus vias justificantes, & ei omnem adscribentes Sanctitatem. Atque si quando omnes Gentes, ad adorandum eum (prout illa CXLIV Millia) venient, quid aliud quaelibet illarum dictura est, quam *Cantabo Dominum in vita mea: psallam Deo meo quam diu ero, h.e. in aeternum: nam quemadmodum Christus, semel a Morte resuscitatus, non amplius moritur in aeternum; sed vivus semper manet: Ita & Animae omnes, quae de hac restitutione, velut resuscitatione ex mortuis, participabunt, nunquam amplius morientur; sed perpetuam in vita & esse permanebunt. Quandoquidem enim tota vita & quamdiu erunt, Deo cantabunt & psallent, necesse est id illos semper & in aeternum facturos, quod quidem primum hujus Cantici Membrum est. Secundum exprimitur*

Vers. 34. *Dulce erit ei eloquium meum, ego laetabor in Jehovah.*

Verè Psal. XCII. (qui est Initium Cantici Sabbathici) dicebat Moses, *Bonum esto celebrare Jehovah, & Psallere Nomini Altissimi vers. 1.* Quid enim Deo gratius aut acceptius esse posset, quam quod homo, quem eum in finem creavit ut per eum laudaretur & agnoscetur, ex corde ipsi ita loqueretur, & Nomini ejus ita cantaret, ut nobis praedit heic Dominus Jesus? Idque eō magis, quod heic expressè declaretur, hanc Canticionem, non procedere ex creaturali aut carnali aliquo gaudio, sed merè & unicè ex gaudio quod in Domino concipitur, in *Jehovā laetabor: adeoque non solum purum, æquum & justum esse, sed & constans, velut aeternæ Rupi, quae in seculum non movebitur & nulli mutationi obnoxia est, fundatum. Quod Secundum hujus Cantici Sabbathici Membrum est. Tertium sequitur in his verbis: vers. 35.*

Consumentur Peccatores de Terrā, & Impii ultra non erunt: quasi diceretur, Quemadmodum Ego, solum in Domino gaudium & laetitiam meam capio, ita ab omni adversitate, oppositione aut seductione Peccatorum imposterum tutus & immunis ero. Illi enim ita ē terra delebuntur, ut nec locum eorum, etiam si querat, inventiat quis, prout non solummodo heic, sed & Psal. XXXVII. 9, 10. exerte affirmatur.

Ast dicat quis, *Quomodo hoc de Christo (ut suprà interpretatum) intelligi potest? Num Christus unquam, in hunc usque diem affirmare potuit, ita deletos ē terrā Peccatores, ut non sint amplius?*

Resp. quod non: dicoque quod verbum יְהוָה non praeteriti aut praesentis, multo minus Imperativi temporis sit, sed Futuri, *consumabuntur: non quasi jam res esset perfecta, vel quasi desiderium solummodo exprimeret, prout Belgæ Interpretes id vertunt: sed est quasi rem prædicens, quod ea certo certius effectum esset fortitura: Prout jam in Personâ Christi adimpleri est cœpta; quando eum Deus & mortuis resuscitavit: adeo ut jure ipso jam dicere possit, Peccatores ē terra effe*

esse delendos & Impios non fore amplius. Imò, & dicere potuisset, *Mibi jam sunt deleti:* non enim, Me, id est meam personam, propriè tangere amplius possunt. Quoniam tamen Inimici ejus, Peccatores scilicet, adhuc pro tempore manere, ejusque fideles non aliter ac se, affligere & oppugnare debebant, usquedum primò Totus Israël, & unà cum iis, quicunque ex omnibus Populis in eum crediderint, eumque fecuti fuerint, Prima Resurrectionis fuerint participes facti; & deinde quoque, velut virtute Regni Christi in Terris, quotquot Deus creavit Nationes; Ideo de hac deletione Peccatorum & Impiorum è Terrâ extirpatione loquitur, non tanquam de re jam adimpletâ, vel desiderabili tantùm; sed tanquam de re quæ certò eveniet; & cujus gratiâ ipse unà cum Fidelibus omnibus, meritò in Deo latari possit. Denique ad horum omnium confirmationem sequitur *Quartum* hujus Cantici Membrum vers. 35. *Benedic Jehovâ anima mea. Hallelu-Jah.*

Ubi æternum quid est, ibi oportet Finem esse sicut Principium: ideoque, & hoc Canticum, quod in saeculum duraturum dicitur, non aliter sonare debuit in fine ac in principio. *Benedic Jehovâ anima mea.* Deinde observatu dignissimum est, quod (ut in titulo hujus Psalmi innui jam) hic Psalmus primus omnium sit, in toto Psalterio, qui definit in hoc Epiphonemate *Hallelu-Jah.* Quasi hoc ipso Spiritus Sanctus significatum voluisset, *Quod priusquam Contenta hujus Psalmi* (quæ est Mundi in eum statum qui hic describitur, restitutio) plenè fuerint adimpleta, Deus nunquam perfectè poterit laudari & glorificari: Sed tunc demùm, 1. Quando Deus luce velut vestimento, sese induerit. 2. Quando Terram firmaverit semel, & ab aquarum diluvio securam reddiderit. 3. Quando omnifaria tam super Hominem quam Bestias Terræ benedictionem immiserit. 4. Quando, pulsa Noëte, & fugatis tenebris, lumen Diëi elucescere fecerit, in quo filii Lucis omnibus Justitiae & sanctitatis Operibus operam dabunt. 5. Quando non solùm qui in Terris sunt omni Benedictionum genere cumulaverit, sed & maximam partem Animarum ex Maris profundo, velut perditas Oves, reduxerit. Et 6. Quando tandem etiam omnis generis homines in Veritate & Justitiâ super Terram confirmaverit, & omnes inde Peccatores & Impios deleverit: tunc inquam, tunc demùm incipiet hoc *Hallelu-Jah.*

P S A L M . C V .

S E U

Exhortatio ipsius CHRISTI, ad veros Abrahami filios, ut celebrent & enarrent Omnibus Terræ Incolis omnia Dei
Mirabilia & Prodigia, eorum gratiâ praestita,
nec non & Beneficia ipsis collata.

I. **E** Ia, DEUM celebrate, DEUM, Nomenque verendum
Ipsius, in Populis notificate, Pii.

Q 3

2. Et